

CAPUT VIII.

Additamenti ad verum Casinense Martyrologium fides non est idonea, qua Monachus Thomae suaderi queat. Nonnulli, qui feruntur ejusdem Monachatus indicia, levitatis & falsi convicta, ac depulsa.

I. **N**imium dolet Disquisitor, clarissimi Casinensis Monasterii Tabulas, quippe quod Frederici secundi Imperatoris ira ac furore exilatam illud fuit, perturbatum, ac pene devastatum, ad nos usque non pervenisse, qua maxime patefaceret, qua fuerit vitæ conditione Thomas quamdiu Casini subsistit, quodve illic tenuerit institutum. *Equid aliud vero (ait ille capite v. num. 1.) ultra sperandum in rebus alia caligine mersis, & forte non sine industria occultatis? Mirum est, Monachatum Thomæ inter alta caligine mersis res numerari, quem gravissimis argumentis ac certis etiam demonstrationibus in apicum se tulisse, frequentius gloriatur Disquisitor. Age tamen, (pergit ille) & si quis inde radius emicet, excipiamus. Radium porro, quem exciperet, sibi videre emicantem visus est in aliquibus Richardi de S. Germano verbis ad annum 1239. quibus tertia Monachorum exclusio refertur de Monasterio Casinensi. Locum expendimus capite v. num. 2. quem mala fide interpolatum demonstravimus: ipsamque præterea interpolationem nihil exhibere omnino, quod Monachatu Divi Thomæ faveat, ostendimus.*

At exstat etiamnum hodie (inquit) Casini optime nota documentum anni circiter 1380. quod Virum sanctum ex Benedictino Instituto ad Dominicatum transiisse disertissime notat. Jam ergo dolorem suum cohibere Disquisitor debuisset in Tabulis Casinensibus exilatæ, deque rebus propterea alta caligine mersis, cum vel uno documento optime notæ, quod etiamnum hodie adfervatur, Monachatus Thomæ disertissime notetur. Illud est, quod Joannes Mabillonius in Museo Italico publici juris facto anno 1687. memorat ac in lucem profert Parte I. pag. 123. „ Ex Martyrologio veteri discimus, inquit, Thomam Aquinatem „ Casini Monachum fuisse, antequam ad Dominicanorum Religionem convolveret. Ita enim de eo „ Nonis Martii, secunda quidem manu, sed ante annos 300. (scilicet circa annum Christi „ 1380.) adscriptum legitur: Nonis Martii „ apud Fossam-Novam, Natalis S. Thomæ Confessoris, „ viri eruditissimi, qui vivens de Aquino, „ primo Casinensis Monachus factus, postmodum in „ Ordine Beati Dominici Predicator effectus, sua „ multiplici & fructuosa doctrina illuminavit „ de Ecclesiam sanctam Dei. „ Quis contra mutire (Disquisitor clamat) quis hincere audeat?

Cur vero hincere non liceat contra Monachum, eidemque fidem denegare, qui sæculo integro, ipso adnotante Mabillonio, ab obitu Thomæ, qui anno 1274. accidit, interpolatæ vetustum Martyrologium, sæculo undecimo scriptum, si Erasmo Gattula credimus? Sed vel ea ætas a Mabillonio constituta satis scriptori (verba sunt Disquisitoris capite vi. citato num. 3.) conciliat auctoritatis, ut in facto de quo nunc queritur, fidem integram faciat: cum eo in loco scripserit ille: ubi ex publicis Tabulis rescire facile potuit, qua fuerit Thomæ fortuna, Casini dum degeret adolescentis. Publicas Monachatus Thomæ tabulas extitisse Casini anno circiter 1380. quo Monachus ille scribebat, adferit modo Disquisitor, qui paulo antea dole-

bat periisse illas in expilatione Cœnobii Casinensis, qua contigit Frederico II. Imperatore in Religiosissimos Monachos furente, anno scilicet 1239. ac deinceps usque annum 1250. quo mortem obiit ille. At vetustiora quæ lustrare potuerit monumenta bonus ille Monachus, si quæ supersunt, & ad nos pervenerunt, ab Auctoribus conscripta, qui Thomam viderunt, & cum eo versati sunt, aut eidem ætate proximi fuerunt, oppositum tradunt manifeste. Ptolomæum Lucensem intelligo, & Guillelmum de Tocco, & Bartholomæum de Capua, Logothetam Regni Siciliae, & Thomam Cantimpratensem, quos Monachatum Thomæ pluribus evertere, offensum est. Adde testes in Processu Canonizationis vocatos & juratos, qui plurimi sunt, non ex Ordine Predicatorum duntaxat, sed Monachos, & laicos; qui cum de Thomæ gestis testimonium perhibeant, ejusque vitæ circumstantias, quocumque modo noverint eas, etiam minutissimas patefaciant, Monachatum ejus aut alto silentio premunt, aut certe profligant. Quæ hæcenus differuimus, recole & expendite.

*Fuerit ergo tam bonus Joannes Mabillonius, cui tantum debet litteraria Respublica, quantum vix alteri; qui prædicti Additamenti ad Casinense Martyrologium allegata fide addiscendum proponit in Museo Italico: Thomam Aquinatem Casini Monachum fuisse, antequam ad Dominicanorum Religionem convolveret? Refert ea Vir doctissimus, quæ prædicto in Additamento legerat: quorum tamen se vadem ipsum dare, haud puto. Rem offero præterea animadversione dignam. Thomas dicitur in illa marginali adnotatione, primo Casinensis Monachus factus: indequæ addiscendum scribit Mabillonius, Thomam Aquinatem Casini Monachum fuisse; quæ sine dubio verba, in obvio proprioque sensu accepta, Monachatum exhibent, quem solemnem emissio voto Casini professus fuerit, aut certe ratum renovato voto habuerit Sanctus Thomas. At probe fenserat Mabillonius, nemini fore Monachatum Divi Thomæ persuadendum: unde proprio marginalis illius notæ relicto sensu maluit eam cautior effectus intelligere de sola Thomæ inter Monachos educatione, ejusque puerili Divo Benedicto a parentibus facta oblatione, in Præfatione Partis primæ ad Sæculum sextum Benedictinam, quod Parisiis anno 1701. publicam lucem vidit. Verba ejus hæc sunt num. 36. *Attamen pueros in Casinensi Monasterio seculo XIII. educatos fuisse, probat exemplum S. Thomæ Aquinatis, quem a puero Monasticum illic habitum induisse, sacri ejusdem loci Martyrologium testatur. Sed neque hanc pueri Thomæ educationem Casini in habitu Monastico verisimilem esse, latiore jam calamo ostendimus capite III. Aut ergo Thomam Auctorem Additamenti ad Casinense Martyrologium, Monachum dixit, hoc est, in eo Cœnobio nutritum, moribus & litteris a Monachis informatum: aut minus prudens simplicem illam Thomæ educationem, quæ cuique notissima erat, ut inde Casinatum gloriam quodammodo auget, pro vero oblationis rita vendidit, accepitque pro Monastica professione.**

II. Externa quædam hujuscæ demum Monachatus profert capite VII. num. 4. indicia Disquisitor, quibus olim se maxime excitatum profertur, ut Benedictinum Divi Thomæ Monachatum, de industria forte a nonnullis occultatum, inquireret, veteresque chartas volendo reverteret. Evolvit scilicet, quæ sua in Dissertatione Manuscripta jam antea collegerat Angelus de Nuce, nihilque aliud præterea, quod grave aliquod afferret momentum. „ Movit me primum (inquit) quod Parisiis olim in Majori Conventu Divi Jacobi, „ ximam

„ ximam vitæ partem Divus Thomas exegit, a „ plerisque Magistris, & antiqui moris Viris ac „ ceperim, ex præca Majorum traditione haberi „ communiterque teneri, Doctorem Angelicum „ sub alba Dominicanorum veste Benedictinum „ schema, seu scapulare nigrum gestare solitum „ fuisse: quod idem a Viro Doctissimo, eodem „ que eximia probitatis Magistro, Julio Merco „ ro apud Mediolanum Fidei Quæsitore, accepif „ se profertur laudatus hic sæpè Vir summus An „ gelus de Nuce Archiepiscopus Rossanensis, „ Reposueram ego in Præfatione opusculi, quod „ anno 1724. typis editum est, inani profus con „ jectura hanc Benedictini schematis gestationem „ pro Monachatu asseri posse; cum pietatis causa „ schema illud nigrum (quod cujusque instituti reli „ giosus hominibus licitum esset) sub veste sui Or „ dinis alba gestare Thomas potuerit, ut coleret „ maxime Sanctissimum Patriarcham Benedictum, „ in cujus Casinensi Cœnobio primas litteras didi „ cit, moribusque christianis imbutus est. Hæc satis nobis fuerunt. Ampliora legimus in Compendio Opusculi nostri, quod recensitum habetur in Trevoltinis Eruditorum Diariis, anno 1725. Mensis Januarii, Articulo x. Hæc legimus gallice scripta: „ Au reste on croit devoir avertir ici, qu'on a pris soin de s'informer de la vérité d'un fait allégué par le même Auteur, en faveur du Monachisme prétendu de Saint Thomas. Ce fait est, que c'est une tradition constante dans la Maison des Dominicains de la rue Saint Jacques, que le Saint Docteur, qui y a passé la plus grande partie de sa vie, avoit coutume de porter sans son habit blanc le scapulaire noir de l'Ordre de Saint Benoît. On s'est enquis du fait dans la Maison même, & il a été répondu unanimement, & en particulier par un Père très-ancien dans l'Ordre, & qui demeure dans la dite Maison depuis 52. ans, qu'on n'y avoit jamais entendu parler de cette prétendue tradition, & qu'on ne la pourroit regarder que comme un fait aussi fabuleux, que le Monachisme du Saint Thomas dans l'Ordre de Saint Benoît. Quæ latine reddita, hæc fere sunt: „ Monitis Lectores volumus, de „ disse nos operam, ut de traditione gestati a „ Thoma sub alba Dominicana veste schematis „ Benedictini, quæ constantissima adferitur pro „ manasse ad nos usque in Majori Parisino S. „ Jacobi Cœnobio, certiores efficeremur. Responsum communi voce dederunt Patres illi, „ maximeque testatus est vir annosus, qui ab „ annis duobus & quinquaginta fixam in eo Cœnobio sedem habet, hanc apud illos minime vigere traditionem, neque se ullum audivisse umquam quidpiam tale attestantem: rem ergo illam cum Divi Thomæ Benedictino Monachatu, ut inter fabulas amandari ruto posse. „ Hæc eadem habentur italice conversa, ac edita Venetiis apud Aloysium Pavinum Tomo XLII. Operis inscripti Giornale de Letterati Ultramontani.

Aliud profert indicium Disquisitor: „ Illud „ me quoque, inquit, non mediocriter movit, „ quod plenissimam rerum Benedictinarum cognitionem in Doctore Angelico deprehenderim; „ singularem in Benedictinis ritibus, regulis, institutis, moribus explicandis diligentiam, qualem ne in explicandis quidem Dominicis invenias; flagrantissimum denique studium, quo Benedictina quoque, cæteris ferme neglectis, non nata modo, sed & quæ sita de industria occasione defendit, ut orare pro domo sua Cincero videatur &c. „ Exaggerationis plurimum hæc Disquisitoris verba habent, solidi nihil quod Monachatum Thomæ indicet. Pars quidem fuerit summæ peritiæ rerum omnium, qua clarebat Vir Sanctissimus, rituum notitia & regularum, & „ ximam

stitutionum, atque morum ad Benedictinos Monachos attentum: at eam facillime comparare sibi poterat (quod & cuique Monastica disciplina diligenti indagatori pervium esset) ex regulæ S. Benedicti aliorumque statutorum Casinensium lectione. Plura quoque ejusdem Casinensis disciplinae capita didicerit ille, cum Casini degeret, tamen puerulus secularis moribus & litteris imbuendus, nobili tamen ingenio præditus expeditoque ad ea quæque observanda, in quibus Monachi exercebantur. At quænam demum tam intima, tam recondita fuerint illa Monastica instituta, quæ non nisi Monachus potuerit scire? Docet ille Opus. XVII. capite XI. & II. 2. q. CLXXXIX. art. II. ad 1. concedi in Regula B. Benedicti probationis annum nuper ad Religionem conversis; & art. v. Beato Benedicto Nobiles dare suos filios omnipotenti Deo nutriendos cæpisse; & I. 2. q. XIII. art. v. ad 3. si Prælati aliquid impossibile præceperit, tentandum esse a subditis juxta Beatum Benedictum; & alibi, B. Benedictum mandare, quod venientibus ad Religionem non sit facilis præbendus ingressus; & quodl. I. art. xx. ad 2. Monachos ex voto obligari ad servandam regulam Beati Benedicti: sed comedere carnes non esse contra votum Monachi, nisi quando comederat ex inobedientia, vel ex contemptu. Hæc, & similia sunt, quæ a Thoma sciri non potuisse, nisi Monastica fuisset obnoxius professione, dixerit nemo prudens.

An memorari inter Monachatus indicia debeat consuetudo & amicitia cum Benedictinis, quæ sanctissime coluit Sanctus Thomas toto vitæ suæ tempore? Hanc Erasmus Gattula loco ob oculos ponit: Tabulæque refert, quibus Bernardus Abbas anno 1270. facultatem Fratribus Predicatoribus facit, Domum & Ecclesiam erigendi in oppido S. Germani, ob honorem Dei, & Ven. Viri Fratris Thomæ de Aquino ac Religiosi Viri Fratris Trojani de eodem Predicatorum Ordine, carissimorum amicorum nostrorum, promerente dilectione. Hæc si Monachatus indicia haberi debeant, Monachus olim fuerit, ut video, non solum Thomam Aquinas, sed etiam Fratrem Trojanum, quos carissimos amicos vocat Bernardus Abbas. Abeat hæc vero, non Monachatus indicia, sed commenta ad fucum faciendum quæ sita.

CAPUT IX.

Chronographia gestorum Sancti Thomæ, a Disquisitore aliique posita expenditur: eademque reformatur. Postremum contra Monachatum ejusdem argumentum.

I. **S**atis in propatulo positam Monachatus Divi Thomæ fabellam puto: ac discretis etiam manifestisque documentis ostensum, Angelicum Doctorem Casini ab ineunte ætate moribus & litteris veluti nobilem puerum secularem informatum esse; pubertate nondum adepta, Neapolim ad publicas secularesque scholas a parentibus missum; ac sæculo valde iuxta tum demum, cum Dominicanorum Predicatorum Ordinem ingressus est. Rerum hujusmodi chronographiam hoc loco diligentiore opera ut expendam, suadent plura: ut res eadem suis temporibus illigatas quæque percipiat; quæ etiam posita est ab Auctore Disquisitionis historice chronographia, ut minus accurata, profligetur; ac demum novo ac postremo validissimo argumento quæ contra Monachatum Thomæ differuimus, confirmetur.

Quatuor potissimum anni sunt, qui diligentius, quo ad fieri poterit, & expendi debeat, & definiri. I. annus æræ christianæ, quo Thomas Do-

minicano Prædicatorum Ordini nomen dedit, de quo non multum cum Adversario dissidium erit. 2. annus ætatis, quem natus erat, cum diem supremum clausit in Cœnobio Fossenovæ. 3. annus Christi, quo in lucem datus est. 4. annus ætatis, quo Dominicanam vestem induit: quos ita digressisse ac ordinasse mihi videtur Disquisitor, ut causæ susceptæ favere voluerit, non veritatis. Methodus vero, quæ a certioribus aut probabilioribus procedendum præscribit ad incerta minusque nota, cogit ut ordine quodam christiã cum quibus illigari illi debeant, perquiramus.

Contendit Disquisitor capite IV. num. 2. non ante annum æræ christiã 1243. aut etiam 1244. fuisse posse Divi Thomæ ingressum in Prædicatorum Ordinem. Hujusce anni quem inquirimus, notam quamdam asserunt Ptolomæus Lucentis, & Guillelmus de Tocco. Ait ille Libro XXII. Hist. Eccl. capite XX. Thomam, Dominicanam vestem indutum, versus Perusium venientem, in Tuscia ad quoddam Imperatoris Castrum quod Aquapendente vocatur, ibidem Fredericum invenisse: eoque, Imperatore dissimulante, a Reginaldo fratre suo caput, missumque in Campaniam ad quoddam Castrum vocatum S. Joannis. Aquapendente, latine *Acula*, seu *Aquila*, urbs est Tusciæ in Ditione Pontificis in agro Urbevetano. Hanc Frederici Imperatoris Acule commorationem, cum Thomas captus est, memorat etiam Guillelmus de Tocco capite 11. num. 8. & 9. Exceptum illum Neapoli in Ordine Prædicatorum refert, ductumque Terracenam, inde Anagninam in Campania, & usque Romam ad Conventum S. Sabine: Theodoram matrem in furias actam, quod filium Dominicanæ Ordini recens adscriptum videre non potuit, nuncium direxisset ad Filios suos, qui erant cum Frederico Imperatore in Castro Aquapendentis Tusciæ regionis: ipsosque de readmonitis, accepta licentia Imperatoris, Fratrem suum juxta cuspidam fontis irrigua quiescentem cepisse.

Quo anno Acule moraretur Imperator, perquirendum. Ejus ergo gesta, & Innocentii quarti paucis referenda sunt ex Chronico Richardi de S. Germano, & ex Vita ejusdem Pontificis a Nicolao de Curbio scripta. Innocentius IV. electus est Anagninæ anno 1243. die 23. Junii. Legatos ad ipsum mittit Imperator, qui Melphi morabatur in Regno Neapolitano, Mense Julio: eodemque Mense civitas Viterbii in Tuscia venit ad mandatum Ecclesiæ. Obsidione cinctam illam ab Imperatore Mense Septembris, adnotat Ricardus: id factum circa Festum omnium Sanctorum, habente scilicet Mense Octobri, refert Nicolaus a Curbio. Anagninæ discessit Pontifex XVII. Kal. Novembris, adnotante laudato Nicolao de Curbio, cujus dumtaxat fide deinceps usuri sumus Chronico desinentem Richardi de S. Germano, idest die 16. Octobris: exceptumque Romæ fuit XVII. Kal. Decembris, seu die 15. Novembris. Viterbii obsidionem urbi Fredericus duobus mensibus & dimidio: quo tempore de pace constituenda per Legatos egit Pontifex cum Imperatore. Sed iterato legatos ad ipsum misit ad Aquapendentem. Aculam venisse Fredericus dicens est post duos menses cum dimidio obsidionis Viterbii: quæ cum incepit circa Festum omnium Sanctorum anni 1243. nonnisi Mense Januario incepto anni 1244. mittere Legatos ad ipsum Innocentium potuit ad Aquapendentem. Itaque Thomas a Fratribus, qui erant cum Frederico Imperatore in Castro Aquapendentis, capi potuit in eunte Januario ejusdem anni 1244. ac potuit ipse anno superiore extremis diebus mensis Decembris vestem indere Dominicanam.

Utique anno incepto 1244. contigisse si quis-

piam contendat, repugnare non licet; cum adhuc Acule peritisse Imperatorem mense Martio, & Aprili hujus anni, diserte Nicolaus de Curbio attestetur. Ait quippe, missos ab Imperatore Legatos, pollicitos esse nomine ipsius promptam obedientiam, in die cœnæ Domini anni 1244. nempe die 31. Martii, cum eo anno Sanctum Pascha in diem tertiam Aprilis incidere; sed mandata Pontificis de restituendis Ecclesiæ terris a Frederico contempta, qui adhuc apud Aquapendentem persistebat. Interim Pontifex, rutum cogitans locum, ubi fortius machinas Imperatoris eluderet, die septima Junii egreditur urbe profectusque est ad Civitatem Castellanam. Nuncios ad illum direxit Imperator, qui apud Interamnum tunc erat. Prædicta in Civitate, cum dierum 19. spatio perstitisset Pontifex, discessit: ac in die præcedente Vigilias Apostolorum Petri & Pauli, scilicet die 27. Junii Sarrum devenit, ac demum Civitatem vetulam: indeque solvit Januam. Cum his egregie consonant, quæ de Thoma carcere mancipato narrat Guillelmus de Tocco. Refert ille num. 9. sanctissimi Juvenis matrem, cum non posset ipsum inducere ad prædictum habitum deponendum, fecisse ipsum custodiri sub bona custodia usque ad reditum filiorum. Jaeduram nobilissimi adolescentis dolebant Fratres Prædicatores: accesseruntque ad summum Christi Vicarium Innocentium Papam quartum, qui tunc erat in Tuscia. Annum 1244. facis puro indicatum, mensemque Junium, quo Innocentium in civitate Castellana diversatum esse, jam adnotavimus. Mandavit Pontifex prædicto Imperatori, qui erat in regione propinqua (qui nempe apud Interamnum tunc erat) quod faceret de raptoribus dignam vindictam. Justo ejus capti sunt Fratres Thomæ germani: contra quos querelas urgere noluerunt Dominicani, maxime cum audissent, prædictum juvenem constanter tenere habitum, etiam in carcere custoditum. Haud breve tempus post capturam Thomæ elapsum, hæc factis denotant. Jamvero Fratres ejus post reditum, qui post Junium mensis anni 1244. accidere debuit, gravius impugnavit ipsum. Inlatis injurias narrat Historicus num. 10. factumque describit num. 11. de lasciva puella titione fugata, quem de camino acciperat castissimus adolescens. Hinc Bollandiæ colligunt, hyemem tunc fuisse, adeoque vel annum 1244. cadentem, vel ineuntem 1245. At ipsum denique sepe per duos annos custoditum, exceperunt Dominicani Fratres per senestram demissum: quod incompletum biennium eodem anno 1245. ineunte, vel adulto desinit. Biennium ajo incompletum, quod ita desinit sæpe laudatus Logotheta: plusquam per annum existit ante detrusus. Quæ cum ita demum se habeant, explosa illorum sententia est, qui Thomæ ingressum in Ordinem Prædicatorum ad annum 1237. referunt. Malvendam consule in Annalibus.

Ad annum ejusdem emortualem sermo procedat. Hæc habet Disquisitor capite I. in Chronographia: Anno 1274. ætatis 54. moritur in Monasterio Fossenovæ Ordinis Cisterciensis. Annum æræ christiã adnotatum definitur omnes, & addunt septimam diem Martii: sed positum annum ætatis præsci omnes inficiantur, qui scribunt, Thomam, ut summum annos quinquaginta natum, vita mortali migravisse. Ptolomæus de Luca Libro XXII. Hist. Eccl. capite X. ait: Obiisse Thomam quinquagesimo vite sue anno: alios vero dicere, quadragesimo octavo. In editione Mediolanensi in Muratoriana Scriptorum Italicæ collectione, mendum irrepsit, positum anno XLV. pro XLVIII. Primum numerum, inchoatum tamen dumtaxat, sequuntur Guillelmus de Tocco, & S. Antoninus; ille: Ut quadragesimum nonum annum sua vite perficiens, quin-

quingagesimo inchoaret æternæ gloriæ jubileum; hic vero: Obdormivit in Domino . . . ætatis sue anno quinquagesimo inchoato. Alterum quadraginta & octo annorum refert Frater Jacobus de Viterbio, Augustinianus & Archiepiscopus Neapolitanus, in Processu Canonizationis Divi Thomæ num. 83. Non est verisimile secundum humanum ingenium, quod tot ac tanta potuerit scribere tam brevi tempore, sicut vixit idem Frater Thomas, qui in quadragesimo octavo anno fuisse dicitur communiter dies suas. Utcumque ætatis annum emortualem indicare possunt notæ aliæ chronologicae apud Ptolomæum Libro XXII. capite XX. inqueantem. Cum autem jam esset sexdecim annorum, habitum Fratrum prædicatorum assumpsit: & in eo pura innocentia vixit triginta duobus annis vel circa. Anni sexdecim & triginta duo sunt anni quadraginta octo: sed anni sexdecim completi, ac triginta duo vel circa, puta tres ac triginta sunt anni quadraginta novem, vel etiam quinquaginta inchoati. Quæ tamen de chronographia adhuc infra dicendum. Miram vero illud est, tam confidenter scribere Disquisitorem potuisse: Dierum Thomam anno ætatis sue quinquagesimo quarto diem ultimum obiisse contra veterum omnium Scriptorum fidem.

Id vero, invitis etiam diis, dicere debuerat, quod Thomam anno æræ christiã 1274. die 7. Martii certissime defunctum, natum facit anno ejusdem æræ 1220. die 16. Aprilis. Auctorum quos laudavimus synchronos & suppare, fide & auctoritate conficitur, Thomam in lucem editum fuisse anno 1225. aut 1226. aut etiam 1227. numquam anno 1220. Certum quidem natalem annum eidem Scriptorum non designant, de uno vel altero anno inter se diffidentes: at pro certo exploratoque nobis relinquunt, minime Thomam anno 1220. natum esse.

Quo ergo jure, qua fide id asserat Disquisitor? Inquit ille capite IV. num. 2. illud longe certius esse, meliorumque Scriptorum suffragio comprobatur, Thomam anno 1220. natum. Quæ sunt, quæso, certitudinis istius longe præstantiora documenta? Quinam Scriptorum illi meliores, quorum suffragio natum Thomam anno 1220. tam certo asserit? Laudat nempe solos Leandrum Albertum, Abrahamum Bzovium, & Vincetium Fontanam. Clarissimos Viros istos omni laude, & commendatione dignos ceuso: nihil minus in re, quæ de agimus, nemo sapiens meliores iis judicaverit, qui a me laudati sunt; eorumque fidem & auctoritatem minus idoneam non habuerit, quæ natalis Thomæ annus constituit tuto queat annus æræ vulgaris millefimus ducentifimus & vicifimus. Guillelmus enim de Tocco, ac Ptolomæus Lucentis eodem ævo cum Thoma vixerunt; Frater Jacobus de Viterbio in Processu Canonizationis testis laudatur a Bartholomæo de Capua; & S. Antoninus anno 1389. natus, florebat ante medium seculum quintumdecimum: Leander vero Albertus, Bzovio & Fontana antiquior, ducentis & amplius annis post obitum Divi Thomæ, anno scilicet 1479. natus est. Favent etiam positum annorum calculo antiquissimi testes plures, quorum laudatus Jacobus de Viterbio communem vocem famamque refert de anno ætatis quadagesimo octavo Divi Thomæ, cum obit: unum vero potuisset, ac debuisset Leandrum Alberum laudare Disquisitor; quod scilicet Vincetium Fontanam in Monumentis Dominicani ad annum M. CC. XX. unius Abrahami Bzovii fide nititur; & Bzovius ad annum M. CC. XLIV. unum memorat Leandrum. Liceat ergo mihi concludere, longe certius esse, meliorumque Scriptorum suffragio comprobatur, Thomæ natalem annum retrahi non posse ab anno æræ christiã 1225. aut insequente, aut 1227.

Qui vite ejus numerant annos quinquaginta inceptos, illigant natalem annum cum anno Christi 1225. ante diem septimam Martii. Hunc referunt ad Christi annum 1227. qui Thomam vixisse putant octo & quadraginta annos, eodemque inchoatos. Quod si Doctor sanctissimus annum ætatis 49. inceperit, cum mortem obiit (ac fortasse probabilior hæc est chronographia) emissus in lucem anno 1226. ineunte, vel superiore 1225. cadente dicendus est. Annorum 48. quos Thomas vixerit, & quidem inchoatos, ad hæc calculo Ptolomæus Lucentis videtur, qui tradit, eundem in Ordine Prædicatorum exceptum, cum jam esset sexdecim annorum; quæ verba sexdecimum annum completum, ac labentem decimumseptimum satis indicant. Cæteroque vero sanctum adolescentem jam artiffice decimum octavum ætatis annum, evincit chronographia quæ probabilior videtur. Adversantur in speciem documenta nonnulla, quibus dicitur Thomam infra pubertatis annos Prædicatorum Ordini nomen dedisse. Sic enim testatur Bartholomæus de Capua in Processu Canonizationis num. 76. Statim, inquit, cum ad annos discretionis pervenit, multum anticipando, nondum pubes adhuc, intravit præfatum Ordinem Prædicatorum. Sic etiam legitur in Litteris Canonizationis a Joanne XXII. datis anno 1323. Dum adhuc infra pubertatis annos existeret, Ordinis Prædicatorum habitum suscepit. Sic demum S. Antoninus Parte III. Titulo XLII. capite VII. §. 2. Ordinem Prædicatorum infra annos pubertatis existens, ingreditur.

Quæ verba si rigidiore sensu intelligi debeat, acsi annum ætatis Thomæ quartumdecimum desinant, plura convellant in ejus Historia certissima: nempe in Ordinem Prædicatorum ingressum illum esse tempore Innocentii quarti Romani Pontificis, adeoque anno 1243. delinente, vel ineunte 1244. ac annos demum ætatis quinquaginta artiffice, vel quadraginta & octo complecti, cum mortem obiit. Etenim Ptolomæus Lucentis Libro XXII. Hist. Eccl. capite XXII. diserte testatur, Thomam tempore Innocentii Ordinem intravisse. Narrant etiam Guillelmus de Tocco & S. Antoninus, Dominicanos Fratres adisse summum Christi Vicarium Innocentium quartum contra raptores Thomæ Dominicanam vestem induti. Quod eo tempore contigisse, narrat omnes, Guillelmus de Tocco, S. Antoninus, & Ptolomæus Lucentis, cum germani fratres ipsius Thomæ, debebant apud Fredericum Imperatorem in Castro Aquapendentis, idest anno cadente 1243. vel insequentis initio. Hinc Scriptorum superius allatos ita intelligendos movent Bollandiæ in Notis ad caput IX. Processus Canonizationis, ut videantur voluisse dicere, Thomam adhuc juvenem imberbem fuisse. Ad hæc, adnotat Paulus Zachias Libro I. Quest. Medico-legal. Titulo I. q. VI. num. 64. & seqq. Legibus plenam pubertatem constitui in decimo octavo anno. Ipse demum Thomas Malvenda in Annalibus ad annum 1237. qui nimium proclivem se præbet ad ingressum Thomæ in Ordinem Prædicatorum infra pubertatis annos constitutum, ipsamque referendam ad tempora Gregorii noni, difficultates gravissimas pensavit quæ contra militat: easque non alia via solvi posse admonet, nisi asseramus (inquit) ut quidam voluerit, S. Thomam natum septendecim annos (quos ego completos intelligo) Ordinem Prædicatorum ingressum esse.

II. Quorum vero tam diligenter discussa Divi Thomæ gestorum chronographia, veterum testimonio digesta, & comprobata? Ut postremo nimium argumento validissimo ea profigentur, quæ

de Monachatu Thomæ narrat Disquisitor. Ait ille: *Monasticam professionem Casini a Thoma omisit anno 1235. ætatis 15. At anno Christi 1235. natus erat Thomas aut decimum, aut undecimum dumtaxat ætatis annum; cum ipsum nemo Veterum aut adferat, aut indicet, & ait: Anno 1239. ætatis 19. expulato Casinensi Monasterio a Frederico II. Imperatore ejectionem Thoma cum ceteris Monachis. Non eo anno, violentia Imperatoris, e Monasterio Casinensi ejectionem, sed adhuc puerulum a parentibus revocatum, ut in scholis Neapolitanis felicius excoleret divinum ingenium, apertissime testatur Guillelmus de Tocco. Ingressum ejusdem in Ordinem Prædicatorum refert ad annum Christi 1243. & ætatis vicimum tertium. Nempe adversos habet Veteres omnes, qui Thomam produunt Dominicano Prædicatorum Ordini dedisse nomen, juvenem adhuc imberbem, cum annum ætatis ageret, ut summum, decimum octavam. Obitum denique ejus cum anno ætatis quinquagesimo quarto illigat, repugnantibus synchronis omnibus testibus, ac invidis etiam diis. At hæc omnia in præconceptæ fabellæ gratiam dici, singularemque ac mirabilem in chronographiam redigi a Disquisitore debuerunt: cui ego demum subjectam Tabellam oppono, in qua annis ætatis Divi Thomæ, ejusdem gestis quæ ad præsentem attinent Disquisitionem, juxta meliorum præcorumque ejus Vitæ Scriptorum fidem & auctoritatem coordinatis, uno conspectu quisque noverit, nullum superesse locum, cui Monachus Thomæ, ejusdem-*

que professio voto solemniter firmata affigi possit. Nempe:

Anno 1226. ut probabilior fert chronographia veterum fide comprobata, nascitur Divus Thomas, Patre Landulpho Comite Aquinate, Matre Theodora, Theatis Comitis filia.

Anno 1231. ætatis quinquennio forte expleto, Casinum mittitur a parentibus, ubi tum Monachus præerat Landolphus Senebaldus, moribus & litteris informandus, more Nobilium patriæ & regionis.

Anno 1235. aut 1236. ineunte, ætatis anno decimo, vel undecimo inchoato, Abbate suadente, Casino revocatur a parentibus, & Neapolim mittitur ad publicas & sæculares Scholas, anno 1224. a Frederico Imperatore institutas, ab eodemque anno 1234. instauratas.

Anno 1243. cadente, vel ineunte 1244. cum annus ætatis ejus laberetur decimus octavus, Ordinem Prædicatorum Neapoli in S. Dominici Conobio amplectitur.

Anno 1248. vel postea oblata eidem fuit Abbatia Casinensis, si tamen unquam oblata dici debeat, ea conditione, ut in Ordine & habitu suo præesset officio.

Anno 1274. ætatis quadragesimo nono incepto, ut probabilius videtur, cum iter ageret ad Lugdunense Concilium, morbo correptus, & in Conobio Monachorum Cisterciensium Fosse-novæ hospitio exceptus, ingravescenti morbo cedit, ac moritur placidissime in osculo Domini.



SPECIMEN
HISTORIÆ VENETÆ
JOANNIS GRATIANI,

EDITUM

A COLLECTORIBUS LIPSIENSIBUS,

NOTIS ANTICRITICIS CASTIGATUM.

F. HYACINTHUS SERRY
IGNATIO HYACINTHO
AMAT DE GRAVESON,

Viro doctissimo & celeberrimo

S. P. D.

Incommodo accidisse scribis, Vir Clarissime, ut antequam postremas ad me litteras dares, non pervenirent ad te, quæ Collectores Lipsiensis novissime ediderunt. Fiori enim inde, ais, ut pene statim sis mihi denuo molestus. Iane vero, tu unquam molestus? Imo nihil esse mihi optabilius potest litteris tuis, quæ quo crediores, eo etiam jucundiores esse solent. Interrogas anxie de Historia Veneta Joannis Gratiani, apud nos edita, quæ nondum in manus venerit tuas; ut cujus exemplaria Romanæ gloriæ perexiguo tempore apud Bibliopolas fuerint. Videtur autem mihi videre animum tuum pene distractum in diversa. Nam hinc præclara memoras ad te de hoc Latino opere serio scripta, ab viris oppido doctis latine: hinc a Collectoribus laudari cernis frigide, & alicubi carpi: quod autem caput est, synopsis legis ejusmodi, vix ut appareat, qualium rerum scriptarum sit. Præterquamquod in ipsa stylo offendere te, ais, subinde barbara, aut impropria latinis permixta; ignorare autem an istiusmodi dictione utatur Scriptor. Quando significas, & tibi, & tuis esse cordi scire quemadmodum res habeat; suscepi protinus ex animo hanc curam. Ac postquam contuli accurate Specimen Lipsiensium cum Historia, quo citius & melius negotium omne pernosceres, Specimen ipsum jussi exscribendum, additis a me notis quidem paucis, at quæ, quo jure Scriptor reprehendatur, liquido ostendant. Interim tibi sancte affirmo, sermonem Historici, quem non incomptum Collectores dicunt, iudicio meo, & peritorum, quos novi omnium, esse & belle compositum, & politum, & elegantem; ut dicere possis, Scriptorum conversisse Livium ipsum in sanguinem succumque suum. Aquæ hæc causa fecit, ut ego sub Librum ipsum editum Historico gratulaver hæc Tetraëstio.

Historiæ, mihi crede, tuæ, si nomina demas,

Romanam quisquis legerit, esse putet.

Sic regit imperio populos Romanus, & orbem

Jura dat: haud aliter Livius eloquitur.

Gratiam habe voluntatem meam satisfaciendi tibi in omnibus. Si quid propterea causa tua possum, ut te opera hominis benevolentissimi arbitrato tuo. Vale.

Patavii III. id. Novembr. 1729.